Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1621
Quelle:
Copyright:

Commentarii in Alexandri de Villa Dei O. M. *Dolensis* an. 1209. compositum *Doctrinale Puerorum Pars* I. et II. *Pars* vero III. a manu minus eleganti. Grammatica haec versibus, quorum initium:

Scribere clericulis paro Doctrinale novellis &c.

tradita et demum Sec. XVI. Scholis emota magnum Commentatorum syrma traxit, quorum plures enumerat *Leyserus* in *Hist. Poet.* p. 767. et *Fabricius Bibl. med. Aet.* L. I. edit. *Mans.* p. 67. Atque hos inter Noster Glossam suam ita orditur: *Ignoratis principiis necesse est et artem ignorare. Hec propositio a deo monita est tam autoritate quam ratione* &c. Grammaticam ab *Alexandro* conscriptam fuisse, ait Glossator, *ad preces cuiusdam episcopi scilicet leodinensis*, quod non consonat Narrationi a *Leysero l. cit.* exhibitae; oriundum praeterea vult *de villa iudei sita iuxta parisius versus occidens, que gallice dicitur yuijs, quod apud latinos dicitur iudeus.* Et extat non minus *Villa Judaei* (Villejuif) inter *Parisios* et *Meledunum*, quam *Villa Dei* (Villedieu) in infer. *Normannia.* Sed nihil decido. Ad calcem P. I. sed recentiore paullo calamo habetur: *Explicit opus prime partis Doctrinalis per manus iohannis Zebinger filius* (sic) *ciuitatis.* Clausula P. II. improbe derasa est; Clausula vero P. III. est hujusmodi: *Finitum est istud commentum anno domini M° quadringentesimo primo sabbato die post invencionem sancte crucis.* Mox majusculis: *Explicit commentum super tercia parte dicta reuerendi Magistri hengnini pronunciatum per reuerendum Magistrum iohannem künigstain et reportatum per oswaldum de chufstain.* Ex his primum, quem *Henningum* malim, Commenti Autorem, alterum Praelectorem, tertium *Tyrolensem* et Descriptorem habeo; hoc enim sensu valebat olim *Reportare.*

Adfixi *fol.* 11. p. 2. Πρόγραμμα repertum in Codice hujus tenoris: *Magister Briccius de Cilia* (seu Celeja) *breui legere incipiet primam partem alexandri doctrinalis locum horamque intimaturus.* Philosophis *Vien.* Vir hic intra annos 1476—85. ter Decanus praefuit.

DCLXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 72. f. min. nitidissime perscriptus, coloribus speciosus, quondam *Math. Corvini*, ut declarat Theca, licet picturata ejus Insignia primo folio ab improba manu resecta fuerint, dein *Joh. Fabri* Ep. *Vien.* sequente rubrica gaudet: *Incipit tractatus qui dicitur Apologiticus doctoris greci Cirilli de greco in latinum translatus diuisus in quattuor libros. primus est contra imprudentiam. Secundus contra superbiam. tertius contra cupiditatem et quartus* U. 169